

138

46

45 1/2

DEO ANNUENTE
DE
NUMARIAE REI
USU IN

HISTORIA ECCLESIASTICA

INDULTU

AMPL.FAC.PHILOSOPH.

SENTENTIAS EXPONENT

PRAESES

M. VALENTIN. ERNESTUS
LOESCHERUS,

ET RESPONDENS

PHILIP. CHRISTIAN. WILH. *Sinck*

Neofeldâ -Bremenfis,

Ad d. XVI. Febr. A. AER. CHR. cl. lre XCV.

VITEMBERGAE,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

DEO ANNO DOMINI
DE
NUMMARIAE REI
USU IN
HISTORIA ECCLESIASTICA
IN
AMPHILAC, PHILOSOPH
SENTENTIAS EXPOSIT
FRANCO
M. VALENTIN ERNESTUS
FOESCHERUS
AT RESPONDENS
BIBLIOTHECAE WILHELM. JUCHA
IN
FRANCO
FRANCO
FRANCO
FRANCO

AUSPICANTE JESU!

CAP. I.

I.



Vam de Sacro Numorum veterum usu in N-
lustri Salana auspicatus sum differendi pro-
vinciam, redux in Almam Leucoream profe-
qvi, & interruptum Exercitationis filum,
continuare ordior, OPT. MAX. Numen ve-

teratus, ut felicem mihi & inoffensum laboris cursum
gratosè largiri velit. Enimverò, dum istuc intendo a-
nimi vires, occurrunt veterum numi THEOLOGORUM
nomine ornati, quorum elegantissimum suppeditat ILL.

Spanhemius, in cujus antica caput Herennii cum Inscripti-
one: ΚΟΤΙΝ. ΕΡΕ. ΕΥΡΟΥΚΚΟC. ΜΕC. ΔΕΚΙ. in postica Her-
cules stans, dextrâ fulmen gerens, sinistra clavam Jovi seden-
ti porrigit, (ut communiter sentiunt, cum tamen caput
laureâ ornatum IMP. designet,) cum Epigraphe: ΒΠ. ΚΟΜ.
Φ. ΓΑΥΚΩΝΟC. ΘΕΟΛΟΓΟΥ, infra: ΠΕΓΡΑΜΗΝΩΝ. Γ. ΝΕΩΚΟ-
ΡΩΝ. Est omninò singulare quid Theologi nomen in

numo, etsi enim Orpheo, Johanni, Gregor. Nazianzeno &
Simeoni Hygumeno peculiariter hunc titulum datum esse
H. Hilarius aliiqve ostenderint, nullibi tamen Glyconis

Theologi memoria occurrit. Ut paucis nos expediamus,
Theologus eâ ætate notabat hominem circa deorum sacra
occupatum, vel ut *Tb. Reinesius* loquitur, quovis modo circa
sacra publica famulantem: ita *Lucianus* inter præsides ora-

culi Æsculapiani etiam θεολόγας numerat. Egregiè illu-
strabit numum nostrum Smyrnenſis Inscriptio apud *Sel-*
denum & *Reinesium*, in qua Smyrnenſes fatentur, se ab Ha-
driano IMP. accepisse ΘΕΟΛΟΓΟΥC, ΤΜΝΟΔΟΥC. Parum

hinc abest Deorum nomen, quod insigni profanæ adulatio-
nis monumento, Regibus cum primis Syriæ & Ægypti, ex
A 2

*Spanhem.
de Usu Num.
p. 593.*

*Not. ad Phil.
Cyprius
P. I. p. 26. 27.*

*Reines. Class.
II. Syntagm.
Inscript. p.
289.*

*Lucian. in
Pseudom.
Seld. Marm.
Arundell.*

*Grec. n. 4.
Im. Reines. l. 6. p.
286.*

AUSPICANTUR LESU

Freberus de Re Monet. p. 19. Science des Medaill. p. 116. Bail. Oper. Chronol. Lib. II. c. 2. qv. 1. p. 29. Spanhem. P. II. Dub. Evang. 1. Part. II. Rat. Temp. Lib. II. c. 1. Brov. Pseudodox. Epidem. p. 858. seqq. Dissert. sur une medaill. d' Herodes Antipas. AB. Erud. T. I. Supplem. Sect. XL. p. 285.

Imperatoribus verò Romanis Neroni, Carino, Aureliano, aliisque in Numis tribuitur, ut *Freberus & Autor Scientia Numorum* ostendunt. Sed hæc *ὡς ἐν ἀγοραῖα*, nunc ad Historiam N. T. ex numis explicandam, ubi nuper substitimus, proficiscimur.

II. Bonum ac felix initium faciat gloriosa Servatoris nostri nativitas, cujus tempus aliquando accuratius inquire, rem non exigui laboris & pretii esse cum *Rob. Bail.* fatemur. Plerosque hic videas, velut desperabundos, arenâ decedere, omnemque laborem frustraneum judicare, magnos alioquin in Chronologia Heroas, *Frid. Spanhemium, Dion. Petavium, Tb. Brownium*. Inter reliquos Chronologos tanta sententiarum diversitas est, ut vix tres videas in omnibus consentientes, & de plerisque verum sit illud *Senecæ: Facilius horologia convenient.* XXVII. diversas sententias collegit *Calvisius*, XL. *Fr. Hufmannus*, imò per facile nobis esset, CXX. opiniones prorsus differentes proferre in iudicium, quæ ab A. M. 3615. usq; ad A. 6984. magno 3369. annorum interstitio *παραχρονία* collocant. Tantæ sententiarum diversitati numi Herodum mederi possunt, & ad pauciores tandem reducere. Dedit hujus rei specimen *Rigordus in Dissert. de Numo Herodis Antipa Par. 1689. ed.* in quo Annus Herodis XLIII. signatus legitur, unde constat, Antipam, qui altero post Christum natum anno imperare cœpit XLIII. annos regnâsse, & cum LXIII. Herodis annus omnium sententia cum *Caligulæ* tertio conveniat, qui ex computatione *Dionysiana & Antiochena* est à Christo nato XXXIX. sequitur, utramque hanc æram falsam esse, & IV. annis carere, quo vitio plerorumque Chronologorum libri hætenus usi sunt. Vid. quæ ex *Rigordo Celeb. Actor. Lips. Collectores* propalârunt. Provocarunt ideò ad numorum auctoritatem duo celeberrimi Antiquarii,

rii,

rii, *Job. Foy. Vaillantius & Joh. Harduinus*, quorum ille *Vaillant.*
Christum sub Varo Præsidi Syriæ A. U. C. 749. hic verò sub *Num. Ævi.*
Præsidi Saturnino A. U. C. 747. natum ex numis contendit. *Imp. Tomo*
Vicit tamen Harduini sententia probatissimorum numis- *II. p. 63.*
matorum autoritate nixa. Plura de Æra Christi ex numis *Harduin.*
disputavit V. CL. *Otto Sperlingius.* *Antirrheti-*

III. Prorsus singulare est, quod Autor *Scientie Numo-*
rum Amstelod. 1693. ed. annotavit, extare penes se Vespasiani *Sperl. Diff.*
Metallionem cum Epochâ ΕΤΟΤC ΝΕΟΤ ΙΕCΟΤ. *de Num.*
Ann. Novi Fur. Tranqv.
Jesu. Quid enim magis alienum, quàm in numo Impera- *Science des*
toris non Christiani Jesu nomen animadvertere? Et quid *Medaill. p.*
sibi vult illud ΙCΘΧ pro ΙΗΣΥ? Equidem omnia eò tendunt, ut *214.*
ἀκίβδηλου π in hoc numo subolfaciamus. Nolim equi-
dem transgredi in *Job. Cobergei* sententiam, qui omnes
Metalliones ex numorum ordine excludit, teste *P. Gassen. Gassend. Vit-*
de, dudum tamen est, quod cum *C. du Fresne* auguror, ple- *Peiresc. p. 56.*
rosque supposititios & levioris ævi esse. Idem forsàn de
præsenti judicare licuerit, sed quia nec ipsum, nec ectypum
videre licuit, meritò hic, *ἐπέχω καὶ ἀμφοτέρω.*

IV. Sequitur jam, ut de numis CHRISTI imagine si-
gnatis uberius differamus. Floret hoc seculo inter erudi-
tos de imagine Christi controversia, deditque occasionem
doctissimis libris *Franc. Vavasoris & Joh. Reiskii* de Imagine *Reisk. de I-*
Christi, quorum ultimus de numis Christi egit fusiùs, nec *mag. Christ.*
minus *Car. du Fresne & Jac. Sirmundus.* Ac primò dis- *Exerc. VIII.*
quiri solet, unde initium duxerit consuetudo, Christi effi- *Du Fresne*
giem in numis signandi: *Savotus* suò more eam pro an- *de Num.*
tiquissima habet: *Il étoit une coutume ordinaire ancienne.* *CNP. p. 21. sq.*
ment parmi les Empereurs & les Rois chretiens: Addit origi- *Sirmond. de*
nem hujus rei deducendam ab antiquo Francia Principum *Num. Chri-*
more, qui Regis imaginem, cujus clientes erant, signabant *sti.*
in numis: Non aliud ait indicasse Reges Christianos, qui *Savot. Disc.*
des Medaill.


A 3

expres. *P. I. Ch. III.*
p. 21.

expressa in numis Servatoris imagine, ejus se clientes pro-
Reisk. de I- fiteri voluerint. Aliam viam ingreditur *Job. Reiskius*, qui
mag. Chri- à Gentilium consuetudine deos suos in numis crebrò si-
si p. 178. gnantium ritum hunc deducendum credit: sed rem peni-
 tius inspicienti diversæ omninò rationes videntur, cum la-
 benti demum ævo & medio Christianismi tempore, non
 verò à primis Christianis IMP. id observatum sit. Vero
 igitur simillimum est, morem hunc originem debere Au-
 gustorum quorundam devotioni, vel veræ, vel simulatæ, &
 crescenti Clericorum potentia, qui omnes animi nervos
 eò intendebant, ut omnia Reipubl. jura, adeoque monetam
 quoque ad Ecclesiasticam potestatem reducerent, quod *Cel.*

Pufend. In- *Pufendorffius* præclarè demonstravit. Inde est, quòd non so-
erod. C. XII. lum in IMP. numis Christi imaginem deprehendamus, sed
 etiam in Venetorum antiquissimis & Bulgarorum quoque
Du Fresne numis, ut *Car. du Fresne* & *Job. Reiskius* docent, qui ab æ-
de Num. mulatione rituum CN Politanorum rem derivant. Simi-
CN Pol. p. 22. lia in Regum Franciæ numis, quorum pleriq; sacrum quid
Reisk. h. c. p. exhibent, observarunt *Cl. Bouteroue* & *Fresneus*.
198.

V. Secundo loco disquiri solet, quando hic mos cœ-
Damasc. E. perit, & à quonam AUG. primùm sit usurpatus? *Job. Da-*
pist. Synod. mascenus Constantinum M. allegat, quem dicit *θεανδρικόν*
ad Theoph. *χριστὸν χαρακτῆρα ἐν νομισματὶ μετὰ τῶν ἰδίων ἀνατυπώσαντα*,
 quod communiter reddunt, *Christi Dei-hominis veneran-*
dam imaginem in numismate cum sua ipsius impressisse.
 Sed cum post tot curiosas eruditorum inquisitiones nu-
 mus Constantini M. Christi imaginem tenens nondum sit
 inventus, nam de supposititiis Helenæ numis infra agen-
Du Fresne dum est, malim cum *Fresneo* de Monogrammate Christi,
h. c. p. 22.

 aut potius de caractere A & Ω divinam ac humanam
 naturam indicante explicare vocem *χαρακτῆρα*, quam malè
 per

per imaginem Interpretis exposuit. Plerique ad Justinianum I. numorum Christi originem referunt, ut *Jac. Strada*, *Cbifletius* & *Occo*, proferuntque monetam, in cujus una parte Servator cum literis IHS. CHRISTUS REX REGNANTIUM, in averfa Imperator barbatus cum Epigraphe DN. JUSTINIANUS SERVUS CHRISTI. Verum qui accuratius indagarunt rem ipsam, nolunt ad Justinianum I. ob barbam & alia referre hunc numum, sed ad Justinianum Rhinotmetum potius inclinant cum *Fresneo* & *Reiskio*, qui aperte judicat, ante Sec. VIII. nullum numum imagine Christi signatum extare. Sunt alii, qui cum *Dion. Petavio* demum *Joh. Zimisci* originem horum numismatum tribuunt, in quam sententiam videtur etiam inclinare *Cl. Reiskius*, quorum uterque nititur autoritate *Scylitza*; Sed dudum ostensum dedit *Fresneus*, *Scylitzam* id indicare, *Joh. Zimiscem* autorem fuisse ritus solam Christi imaginem & Monogramma, omiffa Imperatoris mentione, in numis fingendi, quos inde *ωθημίσκς* & *Zimiscianos* dictos Antiquarii tradunt, & à *Trifano* aliisque exhibentur. Cæteroquin vel levi numaria rei peritia tincti sciunt, non solum in Justiniani Rhinotmeti, sed etiam in Leonis & Constantini Porphyrogeniti numis Christi imaginem haberi. Id tamen diffiteri nolim, id sæpius in Zimiscianis fieri, qui omnes sacri & Mystici sunt. Post Zimiscem in plerorumque IMP. CNP. maximè *Constantini Duca*, *Alexii* & *Manuelis Comneni* numis idem animadvertimus. Videatur *Cel. Wagenfeilii Diss. de Re monetali Rom. c. XII. p. 76. seq.*

VI. Juvat hic velut per transennam intueri vulgarem controversiam de Numis Judæorum Servatoris imaginem exhibentibus, quos *Waserus*, *Hottingerus*, & *Conringius* descripsere. Hos plerique pro spuris habent cum *Conringio*, *Reiskio*, & *Autore Scientie Numaria*, atque à Judæis ad Christi

Strad. Num.
Imp. p. 265.
Cbiflet. de
Lint. Sepulc.
p. 213.

Du Fresne
l. c. p. 21.
Reisk. l. cit.
p. 188.

Petav. Ra-
tion. Temp.
L. VIII. c. 15.
Reisk. l. cit.

p. 193.
Du Fresne
p. 21.
Trifan. in
Antidop.

Waser. de
Num. Hebr.
p. 63.

Hotting. de
Cippis.

Conring.
Pamdox. de
Num. Hebr.
Reisk. l. c. p.
181.

Science des
Medail. p.
129.

sti cultum conversis, aut aliis, qui simplicium peregrinationem in Palæstinam suscipientium curiositati illudere voluerint, confictos judicant. Sed mittenda est lis penè judicata.

VII. Non inconueniens forsan huic loco fuerit, ex Numis disquirere, quâ FACIE & corporis habitu suavissimus Servator usus fuerit. Si Judæorum numismata vocamus in censum, videbimus faciem decoram & honestissimam, promissos in humerum capillos, habitum Principe dignum, ut prorsus expressum videatur illud Davidis Oraculum: *Pulcherrimus hominum es*, & elogia sponsæ mysticæ in Cantico prodita. At vero in plerisque CNP. numis, præcipuè Justiniani, *quantum diversus ab illo!* Hic enim torva facies, rari & sine decore crines reddunt Propheticam vocem: *facies ejus deformis præ aliis*. In aliis tamen CNPOL. numis eleganti habitu & prolixis crinibus pingitur, teste *Fresneo*. Plerique Servatoris protomen exhibent, ut Justiniani Basiliiqve, alii integro corpore, adeoque vel sedentem, & unâ manu benedictionem imperipientem, alterâ Evangelii librum tenentem, (quæ vulgatissima secundum *Allatium* est,) vel stantem & IMP. coronantem, apud alios. In Constantini Ducæ numis verò, & stans, & sedens animadvertitur.

VIII. Licebit nunc ad SANCTORUM Imagines & memorias digredi, quas in numis crebrò admodum deprehendimus. Mariæ quidem protomen habent multi CNP. cum literis MP. ΘΤ. ΘΚΕ. ΒΟΗΘΕΙ apud *Fresneum* & *Stradam*. Initium hujus rei fecit Anastasius Dicorus, quem secuti sunt Romanus Diogenes, Isaacius Angelus, Johannes Alexius, & Manuel Comneni, quorum aliqui, (quod *ἀξιωματικόν* est,) eam facie lusca, alii vero coronam IMP. donantem exhibent. *Joh. Baptista* in diversis numis deprehenditur,

Pf. XLV, 3.
Cant. III, 10.
ii. seq.

Esa. LII, 14.

Du Fresne.
l. c. p. 23.

Allat. Lib. I.
de Consens.
c. VI.

Du Fresne.
l. c. p. 24, 25.
Strada pag.
318. seqq.

ditur, præcipuè Francicis Philippi IV. Johannis, & aliorum.
S. Georgius fictum illud numen cernitur in CNP. præcipuè
Comnenorum cum Epigraphe Ο ΑΓΙΟΣ ΓΕ. apud *Fresneum, De Fresne.*
ut & *S. Marcus*, in antiquissimis Venetorum numis. Ex §. XXXII.
quibus clarum evadit, antiquum satis errorem esse, qui re-
gionibus certis patronos ex sanctis adscribit, sicut adhuc
hodie solent Patroni regnorum in numis signari.

IX. Accedimus ad PERSECUTIONUM Historiam, nobile pro-
fecto Sacrae Historiæ caput, meritoq; dolemus, celebrem ex tot in Sa-
cram Historiam meritis Dublinensem Prof. *Henr. Doduvellum* eò *Doduv. Dis-*
tractum esse novitatis studio, ut plerasque vel prorsus negare, vel o- *sert. Cypri-*
mnibus modis elevare conatus sit. Quæ siverunt igitur veritati fulci- *an. XII. XIII.*
menta ex numis Historicorum quidam, & *G. Hornius* quidem Domi- *Horn. Hist.*
tiani numum allegat, cui inscriptum dicit: NOMINE CHRISTI- *Eccl. p. 70.*
ANORUM DELETO. Sed ut interdum solet, non inspecto numo,
rumore deceptus Inscriptionem cum numo confudisse videtur, si-
lentibus alioquin omnibus Antiquitatis Censoribus. Alii ut Domi-
tiani persecutionem illustrent, rariorem Domitiani numum affe-
runt, in cujus anteriori parte ex *Cel. Wagenseilii* descriptione capiti *Wagens. de*
Domitiani laureato adscriptum est: CAES. DOMIT. AUG. GERM. *Re Monet.*
P. M. TRIB. P. XV. in posteriori figura sedens in corona, caput gale- *p. 75. 76.*
ro tecta, tunicam manicatam induta ad calces usque defluentem,
dextrâ quid cordi simile protendens, lævâ, quâ crucem lateri appli-
cat, lunæ dimidiatæ, pede autem sinistro puppi innixa. Triumphum
hic Domitiani de oppressâ Religione Christiana indicari putant:
Nihil verò minus hoc numo denotari, elegantiori Dissertatione ex-
plicavit *ILL. Ulr. Obrechtus*, antiquitatis omnis Arbiter. Extant
alioquin Inscriptiones, quibus Persecutionum Historia tutius illu-
strari possit, de quibus acturus sum Exercitatione peculiari de *Sacro*
Veterum Inscriptionum usu, si Deo & Patronis placuerit.

X. De LEGIONE FULMINATRICE diversimodè hætenus
disputarunt Historici, recentioribus multis pro fabula habentibus,
quòd Antonino cum Marcomannis pugnante, Romano exercitui
angustiâ locorum presso, & aquæ penuriâ laboranti imbres de cælo
Christiani milites impetraverint, grandine verò & fulminibus co-
pias Barbarorum obruerint, quorum sententiam accuratè propu-
gna-

Larroqvan. gnavit *Dan. Larroqvanus* Diatribe peculiari : nam & diu ante *M. p. 553. seqq.* Antoninum sub Augusto Legionem Fulminatricem extitisse, à fortitudine ita dictam, & totam rem procul à miraculo abfuisse contendit. Pro veritate verò rei pugnant, autoritate ipsius Antonini & coæ-

Tertull. ad vorum Historicorum nixi, *Tertullianus, Xiphilinus, Hieronymus, Cas. Scapul. c. 4. Baronius. P. Dan. Huetius, Ant. Dacierius Dissert. ad M. Antonini ope Apolog. c. 5. m. & Herm. Wiesius* Franeqveranæ Academiæ lumen in *Diff. de Leg. n. 54.* *Fulminat. 1684. ed.* aliiqve. Posteriorum classi calculum facile trans-

Xiphilin. in scribimus, postquam Antonini numus à *Celeb. Schmidio, Jenensium M. Aurel.* Polyhistore, Præceptore & Patrono nostro æternùm honorando

Hier. in In- productus est in mediũ, in cujus antica milites clypeis fulmine insi-

terp. Chron. gnitis ornati & corã IMP. stantes Legionẽ Fulminatricẽ exprimunt.

Euseb. XI. MICHAELIS Draconem interficientis imago extare in quo-

Baron. Ann. rundam IMP. numis creditur. Spectat huc Alexandri Mammeæ nu-

176. c. 8. mus, (qui ad Christianismum ejus comprobandum adduci posset)

Huet. Dem. ab Angelona ita descriptus: *Contiene nel rovescio l' Imperadore à ca-*

Evang. p. 57. *vallo ornato di chiazza co' suolazzi, & habito più tosto donnesco, che*

seq. *no : il che mi fa credere, che tal figura rappresenti la virtù istessa, la*

Angel. Hist. *quale così armata spronando il cavallo, ferisce con la lancia un ani-*

Aug. p. 279. *male, che lessi s' incontro co' l capo di Leone, il ventre di capra, la coda*

di fiero Drago, è que gitta fiamme dalla bocca, il qual mostro rappre-

senti una certa multiforme varietà di vizii. Pleriqve Antiquarii per

Mezobarb. *monstrum illud chimæram cum Fr. Mezobarbo Bingi.* Numum

Num. Imp. verò diligentius consideranti, vel ex visione Johannis de Michae-

p. 319. *le cum Dracone pugnantem deductus, vel saltem fabulæ de S. Geor-*

Spanb. p. 233 *gio occasionem dedisse videtur. Geminum numisma exhibet.*

Spanbemiis, in quo Draco ab Equite alato, (Bellerophontem ipse

Du Fresn. de *Angeli facies habetur in multis numis CNP. præcipuè Isacii Angeli*

Num. CNP. *cum epigraphe : ΑΓΙΟC Αρχαγγελου Μιχαηλ : præterea in nu-*

§. XXX. *mismatibus Regum Galliæ, denariis auri puris Philippi VI. ap. Fres-*

Du Fresne T. *neum, & Ludovici XI. ap. Hautinum. Indeque Angelorum Angelots*

II. Gloss. Lat. *nomen inter monetas Gallicas satis frequens evasit.*

CAP. II.

I, Vix quicquam pervolventi sacrum monetæ veteris usum
magis

Haut. de Mo-
net. Frang. p.
73.

magis incurrit in oculos, quam BASILIDIANI, ut vocantur, numi, qui & monstrosis figuris & inscriptionibus ridiculis omnes suspensos tenent: Solent ita appellari gemmae & numi à Basilidianis & Valentinianis Hæreticis in mysteriorum suorum memoriam signati, quos *Laur. Pignorius & Cesar Baudelotius* studiosè collegerunt. Non inanem laborem esse, si quis ex penitiori Antiquitate illustrare conetur hæc monstra, dudum cum Baronio judicavit Peirescius, qui *Gassendo* teste illis explicandis singularem impendit operam. In plerisque illorum observatur vox ABPAÆAC vel ABPCAE secundum *Pignorium & Peirescium*, vel ABPACAE, secundum *Baudelotium*, quo nomine plerique cum *Peirescio* indicari putant, *Summum Deum continentem Angelos septem, ac prætere a eorum 365. virtutes, juxta anni dies, idque ob septem literas, numeralemque eorum valorem, ut Gassendus portenta hæc explicat.* In quibusdam additur AΔΩNH, ad exprimendum Hebræorum וַיִּוְרָן & ΦΗΡ, vox æquè portentosa ac ipsum ΑΒεγζαδ. *Pignorius* in nonnullis observavit literas ΙΑΩ, quæ Hebræorum יוֹ אוֹ יוֹיָי indicant. In aliis ΩΦΕΩΝ legitur, fortassis pro ΟΦΕΩΝ, nam in plerisque serpentes, aut serpentum capita observantur. Figuræ additæ sunt monstra informia, Leonum capita radiata & ignem spumantia, capita gallorum, corvorum & serpentum. Leonis quidem caput radiatum, ut pleraque Basilidianorum, ex Ægyptiis sacris petatum est, nam Leonem radiatum, teste *Spanhemio*, aliquot numi Ægyptii præbent, ut eo nempe *pe Symbolo Solem nobis adumbrarent.* Idem sanè, ut refert *Spanhemius*, Leonem pro animali Soli consecrato habebant. Leo fulmen ore gerens & ignem spirans sæpius observatur in numis Alexandri M. apud *C. Patinum*, in numis Maximianiani apud *Spanhemium*, Caracallæ apud *Patinum & Angelonum*, qui figuram hanc, ne scio quò jure, appellat *Simbolo della clemenza.* Simillimi Basilidianis numi sunt, unus Caracallæ, alter Helagabili apud *Patinum*, in quo Leo & Stella aliaque. Capita Galli & Serpentis coronata manifestè derivata sunt ex Ægyptiorum numis, in quibus sæpe ea inveniri discimus ex *ILL. Spanhemio.* Faciunt hæc omnia, ut lubentes transgrediamur in B. Hieronymi sententiam à *G. J. Vossio* expostitam, per Abraxam hunc Solem Ægyptiis & Persis pro Deo habitum intelligi, quod & numerus dierum 365. quos annuo cursu Sol


absolvit in nomine isto latens & symbola Basilidianorum soli a-
lioquin propria evincunt. Vid. *Petav. Anim. ad Epiph. Mar. 24 p. 43.*

II. Perducit nos series temporum ad vexatissimum Sacrae Hi-
storiae caput de primo Imperatore Christiano, quod ut multorum
ingenia exercuit miris modis, ita tam luculenter expositum vel à
Kortbold. de solo *B. Kortboldo* est ut nihil ultra dici possit, maximè si Magnif. D.
Pbil. Alex. *D. Neumanni* de Philippo Arabe eruditissima Dissertatio adjiciatur.
Christian. Plerisque peritioribus placet, rejectis veterum de Trajani, Adriani,
Rost. 1662. Alexandri Severi Christianismo fabulis, Constantinum M. primum
ex IMP. Christianum constituere. Sed huic sententiæ alii interce-
vid. de la dunt, & *Philippo Ambi* hunc honorem deferunt cum *Eusebio, Cas-*
Fayed *Pbil. fiodoro, Vincentio Lirinensi, Orosio, Freculpho, Hermanno Contra-*
Amb. Christ. *Etio, Zonara, Frisingensi, Urspergenfi, Sabellico, Sev. Binio, Baronio, Bu-*
P. II. c. XI. *cholcero, Funccio, Hornio, Valefio, Polierio, Westenio, Natali Alexan-*
West. Praef. *dro, A. Pagi, P. de la Faye* in Dissert. peculiari Basil. 1690. ed. P. D. Hue-
ad Orig. Di- *tio.* Sunt v. inter hujus sententiæ defensores non leves controversiæ,
alog. contra aliis ante ludos seculares Philippum Christianum pronuntiantibus
Marc. p. 8. cum *Huetio & Ciampino*, aliis post eos cum *Baronio & Pagio*, aliis
Alex. Sec. occultasse illum professionem fidei statuentibus cum *Huetio*, aliis v.
III. Hist. Ecel. publicam illi professionem contra omnia veterum testimonia tri-
p. 181. buentibus, aliis denique simulatum à Philippo Christianismum cum
Pagi Dissert. *Pomponio Lato* credentibus. Tantum v. abest, ut huic sententiæ o-
Hypat. Huet. mnes adstipulentur, ut potius in contrarium eant *Job. Bapt. Egna-*
Origen. Lib. *tius, Jos. Scaliger, Sethus Calvisius, Ezech. Spanhemius, Steph. Le Moine*
I. s. III. p. 19. & *Gvilielmus Cave*. Atq; in dijudicanda hac controversia plerumq;
Baron. Ann. recurritur ad Numos: nam qui affirmantibus adhærent, producunt
246. n. 23. 4. numismata Philippi $\mu\upsilon\sigma\iota\alpha\delta\omicron\nu$ π indicantia, quæ est, quod *Dissert. I.*
Stalig. Ani- explicavimus dilavium & vocem $\text{N}\Omega\text{E}$ præbens, etsi hoc numo ipse
madv. in *Fajus* uti vereatur, & *Steph. Le Moine* non $\text{N}\Omega\text{E}$, sed inversis literis
Chro. Euseb. $\text{E}\Omega\text{N}$ legat. Plures etiam numos nuper produxit magnum æternæ
ad A. 2260. Urbis decus *Job. Ciampinus* in Dissert. peculiari. Longe vero aliter
Spanb. p. 853 judicat *Spanhemius*, cujus verba clarissima sunt: *Ex Philippi nu-*
Le Moine *mis secularibus cum solemnibus Gentilium Sacris fatis liquere vide-*
Diff. de Hip- *tur, fabulis adnumerandum, quod de hoc IMP. ut Christiano Euse-*
polyto. *bius aliq; dein tradidère.* Habet tamen quod excipiat contraria,
Cave Christ. pars, vel Philippum post cusos demum seculares numos Christo
Primitiv. p. 46. seqq. nomen.


nomen dedisse, vel factum id ex consuetudine, & conservandi regi-
minis causa, quod veteris Idololatriæ neglectus subvertere forsitan
potuisset, ut *Fajus* ratiocinatur. Idem quoque respondet ad numos *Fajus l. c. P.*
Philippi apud *Occonem, Angelonum, Patinum & Vaillantium* insi- *l. c. 6.*
gni numero occurrentes, in quibus Martis figura cum Inscriptio-
ne: MARTI CONSERVATORI. Sed ad alia properare juvat,
laudata *Celeb. Cavei* suspicione, quæ à Philippo Augustali Ægypti *Cavei Christ.*
Præfide Christiano Philippo AUG. coævo omnem de Arabis Chri- *Primit. P. I.*
stianismo opinionem ortam existimat. *c. 3. & Part.*

III. Sed quo minùs Constantino M. *πρωτοχριστιανῶν* honor plenè *III. c. 7.*
adscribatur obstat *Posthumus* AUG. inter XXX. Tyrannos in Gallia
celebris. De hujus Christianismo hæctenus nusquam credito suspi-
cionem mihi iniecit numus ex vulgari computo A. C. 263. cusus apud
Mezzobarbum Biragi, in cujus averfa Victoria, aut Angelus forsitan, *Biragi P.*
videtur clypeum tenens, cui Crux inscripta est cum epigraphe: *394.*
QVINQVENNALES POSTUM. AUG. Fateor, & mihi ipsi suspi-
cionem subnatam, & aliis subnasci posse, crucem hanc numerum X
exprimere & VOTUM X, quod aliàs in numis istius ætatis haud in-
freqvens designare, sed tantum abest, ut istuc inclinem, ut potiùs in
contraria omnia eam. Nam & numus ipse crucem ita \dagger exhibens
repugnat, & nullibi literæ VOT. apparent, quæ aliàs in votivis nu-
mis, observante *Spanhemio*, semper leguntur: accedit, quod quin-
qvennialium mentio in epigraphe fiat, & *πενταετηρικῶν* Historicum sit,
dicere, Postumum decennalia vota celebrasse. Confirmant novam
hanc opinionem reliqui IMP. hujus numi, qui ante A. C. 263. idola-
gentilium & varios ritus exprimunt, post illum verò nihil istorum
habent. Sed hæc eruditiorum censuræ submitto, quam lubens & ex
animo seqvar.

IV. Jam ad CONSTANTINUM M. plenis gressibus contendi-
mus, quem primum Christianum IMP. veteres dixere, quia religio-
nem restituit & reparavit, ut *Fajus* judicat. In ejus numis non levia *Fajus de Phil.*
profecto dubia occurrunt. Constantini quidem ad Christum conver- *Ar. P. I. c. 4.*
sionem optime illustrat insignis numus apud *Fresneum*, in quo Con- *Du Fresne p.*
stantinus militari habitu stat, labarum dextra tenens, in cujus sipa- *20.*
ro descriptum Christi monogramma, victoriâ à tergo subsequente,
cum lemmate: HOC SIGNO VICTOR ERIS; Extant duo alii

numi ante Constant. imperium & Christianam professionem ex
Angel. p. 368 communi computo signati apud *Fr. Angelonum*. In prioris antica
IMP. CONSTANTINUS P. F. AUG. legitur, in postica Imperator
armatus duo signa militaria tenet, quibus monogramma inscriptum
est: in posterioris postica duo milites videntur, inter quos labarum
positum cum signo  & literis: GLORIA EXERCITUS E. S. I.
S. quod quis forsitan explicare ita posset: Gloria Exercitus Est Serva-
tor Iesus. Hos numos *Angelonus* vult à Constantino ad Christianis-
mum inclinante profectos: mihi, ut verum fatear, Constantini Jun.
esse videntur. Mirum aliàs est, in posterioribus Constantini numis
gentium idola videri, sed de his in sequenti Dissert. agendi locus erit.

V. De Baptismo Constantini multa semper ultro citroque pro-
lata sunt; liceat nobis brevitatis studiosis unicum numum citare ex
Bing. p. 469. *Bingi* recentiori opere, in cuius anteriori parte habetur: IMP.
CONSTANTINUS P. F. AUG. in posteriori: CONSTANTI-
NO P. F. AUG. BAP. NATO. P. L. C. Qui numus, cum ultimis
Constantini temporibus A. C. 337. signatus sit, confirmare videtur
traditionem de serotino ejus Baptismo. Apotheosin denique illius
Patin. p. 466 designat ex *Cl. Patini* sententia numus, in quo Constantinus stat
in curru triumphali à quadriga cervorum tracto cum literis CON.
S. quem ita *Patinus* explicat: *Refert apotheosin Constantini in caelum
rupti: An id paganismum redoleat, non desinivit Baronius. Rudes ad-
huc istis temporibus Christiani IMP. piissimum summis etiam honori-
bus venerabantur. Conjectura est, filios hunc sibi quaesivisse honorem
post parentis gloriam.* Sed nihil obest, quò minus ad alium quen-
dam paganum IMP. referamus hanc monetam, cum literæ CON. S.
sæpius nihil aliud notent, quàm Constantinopoli signatum. Felicem
v. Christianæ religionis sub Constantiniano imperio statum & pro-
pagationem, indice eodem *Patino p. 472.* designat numus Constantii,
in quo Imperator in navi stans unâ manu labarum monogrammate
Christi signatum, alterâ phœnicem radiatò capite insignem tenet
cum epigraphe: FEL. TEMP. REPARATIO.

VI. *Magnentii & Decentii* Christianismum confirmant eorum
Pat. p. 474. numi apud *Patinum*, in quibus signum  & literæ A. Ω. habentur,

tur, de quarum significatione egimus *Dissert. superiori c. II. §. 15.* & prolixius exposuit *Heribertus Rosweydu.* Juliani v. numi omnes odium illius adversus Christianam Religionem & resurgentem paganismum indicant, imo, quæ *C. Patini* verba sunt: *Vota publica in Ep. p. 864.* omnibus his numis signata popularum odium erga Christianam religionem testantur: unus maxime notabilis est, in quo triumphus de monstro multicipiti agitur à Juliano, per quod Christianismum indicari Antiquariorum suspicio est.

VII. De AUGUSTARUM Christianismo eò brevius hic agimus, quò fusiùs commentaturi sumus, favente Deo, in Historia Augustarum ex numis & Lapidibus collecta. Mammæam Alexandri IMP. matrem multi Christianam fuisse credunt, & suspensionem firmarunt ex numis ejus, in quibus frequens PIETATIS memoria fit apud *Octavium Strudam Vit. Imp. p. 101.* vid. *C. Korthold. l. c. Sect. II.* & *Cel. Schmid. Diss. de Pietate ex numis p. 20.* Mira verò sunt, quæ de scutulatis Helenæ numis, in quorum una parte Constantini & Helenæ effigies, in altera Servatoris observatur, narrat *Antonius del Castillo in devoto Peregrinante*, eos nimirum fugare dæmones, & morbo epileptico mederi: sed rectius faciunt alii, qui cum *Mich. Heberero Lib. II. Serv. Egypt. c. XLIX.* & *Cel. Wagenheilio de re Rom. Monet. p. 20.* & numos & relationem pro suppositis habent.

IIIX. Ad illustrandam PONTIF. ROM. Historiam multum profecto conferunt eorum numi peculiari nuper volumine à *Cl. Molineto* editi, circa quos tamen observandum statuimus cum *Auctore Scientia Numar. c. I. p. 8.* à Martino demum V. A. C. 1430. genuinos Pontificum numos extare & Sixtum IV. primum fuisse, qui imaginem suam in illis signavit cum Inscriptione UTILITATI PUBLICÆ. Nam in præcedentibus communiter observantur capita Petri & Pauli, claves, imago Christi in sudario, quam Veronicam dicunt, & similia. Extant verò inter hos numos complures, qui idololatriæ & fastus Papistici indicia exhibent & in Theologia Polemica argumentis à *Mornæo* & *Heideggero* inventis addi possunt. Talis est numus Julii III. à *Marq. Frebero Diss. de denario Christi p. 40.* vindicatus, qui ad Papam applicat Esaiæ verba: *Gens & regnum, quod non servierit tibi, peribit,* quem tamen *Aut. Sc. Num. p. 10.* pro spurio habet, & vulgaribus illis numismatibus comparat Genevæ signatis, quæ ab uno latere

latere

latere Papæ & diaboli, ab altero Cardinalis & stulti capita conjuncta exhibent, cum inscriptione: *Et stulti aliquando sapite.* Denique EPISCOPORUM complurium historiam ex eorum numis suppleri augeriq; posse idem observavit p. 21. deditq; hujus laboris specimen in Episcoporum quorundam Galliarum Historia C. du Fresne.

IX. De DENARIO S. PETRI plena sunt Historicorum ævi mediæ scripta: vocabatur ita numus, qui ab Anglis sedi Romanæ penitabatur, Anglicè *Peterpence* & *Romescot* dictus, qui ex una parte habebat crucem cum literis SCI. PETRI MO. ex altera pariter crucem cum nomine provinciæ, vel civitatis. Auctorem hujus monetæ Spanhemius facit Gregor. III. Robertus de Monte Offam Regem Merciarum, *Wilb. Malmesburiensis Ethelwulfum, alii Inam West-Saxonum* Malmesburiensis. L. II. Regem, Videatur *Hugo Flaviniacensis ad A. 1031. Matth. Westmonasteriensis ad A. 704. Prynneus, Spelmanus, Spanhemius, Celeb. Fabricius* Prynneus in *Li-* cius *Dissert. de Denario S. Petri Altorsii edita.*

X. Contra Pontificios meretur etiam observari numisma Ludov. XII. Galliarum Regis, in cujus antica protome ejus coronata cum inscriptione: LUDOVICUS D. G. REX FRANCIE DUX MEDIOLANI, in postica urbs, cui gladius ex nubibus imminet cū epigraphe: PERDAM BABYLONEM. vid. *Job. Wolfius & J. H. Heidegger.* Conatum hujus Principis egregium de evertenda Romana Spanhemius Epit. Babylone, comprobant etiam alii illius numi apud *Fresneum*, in *Histor. Eccl.* quorum averfa parte Pontifex equitans scuticam manu tenet, p. 345. (*Fresneus* Ambrosium esse putat, sed repugnat triplex corona,) *Wolf. Tom. I.* cum verbis: DUX MEDIOLANI. Ex recentiori denique *Historia Memorabil.* Ecclesiastica persecutionis Belgicæ memoriam, designant numi Ordinum Fœderatorum, in quibus videtur liber cum inscriptione: RELIGIO, huic jungitur columna à sex brachiis apprehensa & pistor. *Babyl.* leo tecta, additis verbis: HANC TUEMUR, HAC NITIMUR, T. II. p. 818. & alius apud *Bizotum dans l' Histoire Me-* *Du Fres. T. I. alligé de Hollande p. 158.* in cujus una parte legitur ex *Jerem. LI, 33.* II. *Gloss. Lat.* *Filia Babylonis, quasi area calcabitur.* In altera vero ex *Jer. XXVI, 7.* p. 646. *Gentes servient ei, donec veniat tempus, quo eandem ab ipso servitutum exigent.* Eadem ratione memoria controversiæ Arminianæ indicatur numo Belgico, in quo duæ ollæ figulinæ undis innatae, cum epigraphe: FRANGIMUR, SI COLLIDIMUR.

(0)

